



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

21 Incepasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

est, donec de claritate in claritatem progressi, tandem in aeternum diem introamus, & toti absorbeamur à luce.

21. Increpasti superbos; maledicti, qui declinant à mandatis tuis.

Increpatio Dei-
terribilis.
Psal 9.
105.
Nah. 1.

Item ma-
ledictio.
Jer. 29.

Isai. 24.

Eccl. 3.

DVra vox increpasti. Nam idem Propheta, Increpasti, inquit, gentes, & perijt impius. Increpuit mare rubrum, & exsiccatum est. Et Naum Increpans, inquit, mare, & exsiccat illud, & omnia flumina in desertum adducens. Vide quid faciat Dei increpatio: Quinquam verbum Hebraum significat etiam disperdere, & corrumpere. Sed durum nimis, quod sequitur, Maledicti, qui declinant à mandatis tuis. Verbum planè asperum maledictio. Vnde Jeremias ex persona Domini. Dabo, inquit, eos in maledictionem, & in stuporem, & in sibilum, & in opprobrium cunctis gentibus. Et Isaias, Maledictionem Domini deuorasse terram asserit. Denique si maledictio matris (vt est in Ecclesiastico) fundamenta domus eradicat, quid faciat maledictio Dei? Ergo & increpatio, & maledictio super superbo, qui declinant à mandatis Dei. Superbi enim sunt, qui sese Deo, auctori non humiliter subdunt. Superbos autem meritò increpat, & maledicit Dominus, quos, & odisse pronuntiatur, iisque quod

quod
stere.
Mer
fitiam
per cor
obedir
lum fa
ris, & e
Secu
rectitu
quod v
tanta p
tam pe
Ter
abeo, c
rant, ac
malè re
à nobis
item.
mus ei
Qua
menda
displic
metip
hil sint
ait S. B
quia co
Quid d
mifero
cum in
primi
riat. N

quod tremendum est, omnino resi- *Iac. 4.*
tere.

Merito hæc inquam. Primùm ob iniu- *Quam*
sticiam. Quid enim iniustius, quam illi *graue*
per contumaciam non subdi, & humiliter *peccatum*
obedire, cui omnia seruiunt; à quo non so- *superbia.*
lum factus sis, sed in quo viuis, & moue- *Act. 17.*
ris, & es?

Secundò ob fœditatem, quia à regula *Apoc. 12.*
rectitudinis discedentes fœdissimi fiunt:
quod videre facile est in Angelo, qui à
tanta pulchritudine in deformitatem tan-
tam per superbiam corruit.

Tertiò ob ingratitude, quia cum
abeo, quod sunt, quod viuunt, quod spi-
rant, acceperint, illi grati animi vices tam
male rependunt, vt dicant. Labia nostra
à nobis sunt, quis noster Dominus est? Et
item. Quis est Dominus, vt seruiamus *Psal. 11.*
ei?

Quartò ob errorem intolerabilem, &
mendacium, quod primæ veritati summè *Galat. 6.*
displicet, quia mentiuntur, & decipiunt se-
metipsos, putantes se aliquid esse cum ni-
hil sint. Et tamen in diuite, & potente, vt
ait S. Bernardus, tolerabilior est superbia, *S. Bern.*
quia cognata potentibus esse cognoscitur. *ser. 54. in*
Quid de me exigendum (ait iste Pater) & *Cant.*
mifero, & superbo? Cogitentur exempla
cum insigni tremore, & primi Angeli, &
primi parentis nostri; vnde, & quo excide-
rint. Nec verò duntaxat maledicti superbi,
qui

qui per elationem subijci Deo recusant, sed quicumque declinant, & exerrant à mandatis diuinis maledicti: qui etiam omnes quatenus nolunt obtemperare, & quidlibet aliud mandatis Dei præponunt, contumaces sunt, & superbi.

22 Aufer à me opprobrium, & contemptum, quia testimonia tua exquisiui.

AVfer hebraicè, Depone, quod habet emphasim, quasi opprobrium, & contemptum sicut vestimentum induisset. Quod sequitur, S. Augustinus ex persona Martyrum accipit, vt explicetur, rationem, & causam opprobrii, atque contemptus, fuisse confessionem fidei, & testimonia Dei. Quod & verissimum est, & congruit cum sequentibus. Etenim sederunt Principes, &c. quia Tyranni, & Principes huius seculi eos propterea persecuti sunt. Sed si, Testimonia tua exquisiui, accipiamus non vt causam opprobrii, sed petitionis, & fiducia impetrandi, erit sensus, idcirco se meritò liberationem ab opprobrio postulare, quia testimonia exquisiuit, Hebraicè, custodiuit. Quod in idem recidit. Nam exquirendo custodiebat, & custodiendo exquirebat. Sed parum est Sanctis esse opprobrio, & contemptui hominibus, quod & beatitudinem putant,

Opprobrium hominum
Sanctis
optabile.